PETRUS COMESTOR

12. Jh.

Seite 109v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26083
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nauit .vi. annis. et emit a Somer duobus talen-
tis argenti montis partem in quo erat ciui-
tas Mareon. et reparauit eam. et imposuit
ei nomen Samareon. quasi a Somer et Mareon. que
grece dicitur Samaria. et in ea posuit sedem regni
que prius fuerat in Thersa. et fecit Amri malum
coram domino super omnes qui fuerant ante eum. et mor-
tuus est. et sepultus in Samaria. et regnauit
Achab filius eius pro eo. anno .xxx.viii. Asa regis
Iuda. Hic forte patet uicium scriptorum. Reg-
nauit enim Amri post Achab .xii. annis ut dic-
tum est. et cepit regnare anno .xxxi. Asa. qui
regnauit .xl. et uno anno. et ita Asa mortu-
us est adhuc Amri uiuente. Verum est autem quod
dicit Iosephus. quia iam regnante Iosaphat filio Asa.
cepit regnare Achab. tamen determinationem que
hic fieri solet. in fine regum ponemus.

Et regnauit Achab super Israel .xx. et duobus
annis. tamen Iosephus dicit .xx. annis et duobus
mensibus. nec suffecit Achab ut ambularet in uiis
Ieroboam. sed introduxit ydola gentium in Israel.
et duxit uxorem Iezabel filiam Methabal regis
Sidoniorum. et edificauit in Samaria fanum et
altare Baal. et adorauit eum. In diebus eius reedi-
ficauit Ahiel de Bethel Iericho. Cumque poneret
fundamenta eius mortuus est Abyram primogenitus
eius. Cumque portas muniret mortuus est Sa-
gub nouissimus filius eius iuxta imprecationem
Iosue. Et misit dominus Heliam Thesbiten de habi-
tatoribus Galaad ad Achab. Qui ait ad regem. Vi-
uit dominus deus Israel in cuius conspectu sto. si erit annis
his ros et pluuia nisi iuxta oris mei uerba.
apoypesis est. ibi ponitur si pro non. et querebat Achab
animam Helie. qui fugit ex precepto domini. et latuit
in torrente Carith. qui est contra Iordanem. Corui autem
deferebant ei panem et carnes mane et uespe-
re et bibebat de torrente. post dies autem siccatus est
torrens. non enim pluerat super terram. et ait dominus ad
Heliam. Vade in Sarepta Sidoniorum. precepi enim
ibi mulieri uidue ut pascat te. et erat Sarep-
ta urbs modica inter Tyrum et Sidonem. et Silua

iuxta urbem Sarepta dicebatur. Cumque uenis-
set Helias ad portam ciuitatis. apparuit ei
mulier uidua colligens ligna. Cumque que-
sisset ab ea poculum aque. addidit etiam ut affer-
ret ei buccellam panis. que respondit se non habere
nisi pugillum farine in ydria. et paululum olei
quo conspergeret eam. et panem ex ea factum comederet
cum filio suo. sed post deficiente cibo tabescerent.
Ad quam Helias. Noli timere. fac mihi primum
subcinericium panem. tibi autem et filio tuo postea
facies. Hec enim dicit dominus. ydria farine non defi-
ciet. nec lecythus olei minuetur. donec plu-
at super terram. Fuitque Helias apud uiduam tempore
aliquo. post hec mortuus est filius mulieris. Que
dixit ad Heliam. Cur ingressus es ad me uir
dei ut rememorarentur iniquitates mee. id est magis
apparerent ex contrario equitatis tue. et ideo inter-
ficeretur filius meus. Et posuit Helias puerum super
lectum suum in cenaculo superiori. et expandit se
super eum tribus uicibus. et clamauit ad dominum. et re-
uixit puer. Quem recipiens mulier ait. Nunc
cognoui quoniam uir dei es tu. Hunc puerum tradunt
Hebrei fuisse Ionam prophetam.

Post tercium annum ariditatis et famis dixit
dominus ad Heliam. Vade et ostende te Achab.
ut dem pluuiam super terram. Erat autem fames
uehemens intra Samaria. Cuius meminit
Menander in gestis Sidoniorum. et habebat
Achab procuratorem domus sue Abdiam. qui cum
occideret Iezabel prophetas domini. abscondit .c.
prophetas in duabus speluncis quinquagenos. et pauit
eos pane et aqua. propter quod postea spiritu prophetie donatus
est. Ad quem dixit Achab. descendamus ad conualles.
et queramus pabula equis et mulis. et diuiserunt
sibi regiones. Occurrit autem Helias Abdie
in uia dicens. Vade dic domino tuo. adest He-
lias. At ille. quid peccaui. Quando nunciabo Achab.
adest Helias. spiritus domini asportabit te in locum
quem ignoro. et non inueniens te. Achab inter-
ficiet me. Seruus autem tuus timet dominum
ab infantia sua. Et respondit Helias. Viuit dominus